

NODOMARVS REX GERMANORVM.



Nodomarus Alemannorum fortissimus rex extitit, anno Christi trecentesimo quinquagesimo. Hic bellicæ gloriæ cupidissimus, cum Francis & Chamanis Gallias inuasit, atque resistentes magna clade affecit. Id cum Decentius Cæsar intellexisset, cum exercitu occurrit, atque prælium cum ijs commisit. Verùm aperto Marte uictus fuga salutem quæsiuit. Inde Nodomarus cum suis ubique Galliam deuaſtant, atq; Romanorum provincias funestis cladibus afficiunt, ita ut plurimum ditati fuerint. Hactenus quidem Romano duntaxat solo oriūdi provincijs, magistratibus, & rebus bellicis præficiabantur. Posthac etiam Germani

ob suam uirtutem huiusmodi officijs & dignitatibus decorari cœpti. Id quod ipsis postea honori, atq; Romanis exitio fuit. Auent. lib. 2.